

ordinis sancti Augustini canonisarum regularium de observantia Constantiensis diocesis que numerum non excedunt triginta quinque salubrius consolatur¹, supplicant humiliter sanctitati vestre oratrices prefate, quatinus eis specialem gratiam facientes, ut confessor ydoneus secularis vel cuiusvis ordinis regularis presbiter, quem quelibet earum duxerit pro tempore eligendum, ipsas ab omnibus et singulis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis et promulgatis ac votorum quorumcunque et ecclesie mandatorum transgressionibus, ieiuniorum penitentiarumque eis iniunctarum in toto vel in parte omissionibus omnibusque aliis et singulis suis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, de quibus corde contrite et ore confesse fuerint, etiam si talia essent, propter que sedes apostolica specialiter vel generaliter merito foret consulenda, de reservatis exceptis contentis in bulla que legitur in die cene domini semel in vita et in mortis articulo, de aliis vero eidem sedi non reservatis casibus tociens quotiens opus fuerit absolvere et pro commissis penitentiam iniungere salutarem, vota vero quecunque ultramarina Ierosolimitano, apostolorum Petri et Pauli de urbe ac sancti Iacobi in Compostella visitationis liminum, religionis et continentie votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare et iuramenta quecunque relaxare ac omnium peccatorum suorum plenariam indulgentiam et absolutiorem impendere possit et valeat. Quamque ipse et earum quelibet unum vel duo altaria seu loca devota per ipsas in earum monasteriis residentes seu clauastro eligenda singulis quadragesimalibus et aliis diebus cuiuslibet anni visitando omnes et singulas indulgentias et peccatorum suorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulis eisdem diebus omnes et singulas urbis et alias ecclesias que a Christi fidelibus propter stationes et indulgentias consequendas visitari solent personaliter visitarent. Nec non ipsis etiam et earum cuilibet, ut ovis, caseo, butiro et aliis lacticiniis quadragesimalibus aliisque a iure prohibitis et veneris diebus extra quadragesimam etiam ovis et carnibus ipsis in infirmitate constitute de consilio medicorum uti, frui et vesci libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem auctoritate apostolica concedere et indulgere dignemini de gratia speciali. Constitutionibus et ordina-

1) So!